ORATIO

IN EXEQVIIS ILL.MI ET REV.MI D.D.

PETRI CARD. DEZAE


EPISCOPI ALBANEN.

ET HISPANIÆ PROTECTORIS.

A FRANCISCO CABRERA MORALE
S.D.N. CLEMENTIS Papæ VIII. Acolytho,
& eiusdem Cardinalis Theologo.

Habita

AD SACRVM S.R.E. CARDIN. COLLEGIVM,
in Ecclesia S. Laurentij in Lucina die septima
Octobris anno Iubilaei 1600.



ROMAE,
Apud Stephanum Paulinum. M.DC.
SVPERIORVM PERMISSV.

PLVRIMVM ILLVSTRI ET ORNATISS. VIRO.

D. PETRO DEZAE,

OPPIDORVM VILLAGVERII, ET FONTIS SAMBVCI DOMINO.

AMPLISS. CARD. DEZAE EX FRATRE NEPOTI' ET EX ASSE HAEREDI DIGNISSIMO

FRANCISCVS CABRERA MORALES Hiſpanus, patriâ Brocenſis, in publico Salmanticę Gymnaſio quondam Gręcæ linguę & eloquentiæ Cathedraticus. Salutem, & fœlicitatem precatur.

DVM lætum de tuis (Petre nobiliſsime) & Aldonza à Deza, & Aquila lectiſsimæ Heroinæ nuptijs meditabar Epithalamiũ; ecce humanarum rerum viciſsitudo, quæ ſolet (vt ait Horatius) ſuperbos vertere funeribus triumphos, mæſtiſsimum, extincto Deciæ familiæ clariſsimo lumine, cõdere coegit Epitaphium. Lugubre ſanè officium, ſed mortuis ad amoris ſignificationem debitum, viuis ad leuãdum luctum vtile, & Deciorum genti ad poſte-

ritatis gloriam, necessarium. Nam marmoribus excitatas moles, Ægyptias Pyramides, atque aere vacuo mausolæa pendentia, imber edax, Aquilo impotens, annorum series, & fuga temporum deruit; sola immortalis ingenij memoria, ære perennius monumentum est. Id, quantum assequi dicendo potui, Cardinali præstantissimo, & patrono mihi charissimo, presente S. R. E. Card. Senatu, hac oratione ad S. Laurentij in Lucina sacram ædem habita, præstiti; quam typis mandari prohibebat oratoris exilitas, sed contra iubet argumenti dignitas, & flagitantium autoritas. Vix enim dici potest, quanta in purpuratis Patribus ad Cardinalis Dezæ laudes audiendas attentio, quantus excellentium virtutum commemorationi, cõmunis annuentium assensus extiterit; quem inter dicẽdum quum animaduerterem, voluptati quidem illa omnium auditorum beneuolentia, sed mihi mea dolori erat inopia, quòd tanti Principis factis, præsens non æquaretur oratio. Quoniam (vt doctè scripsit Crispus) eorum, qui fecère virtutes, tanta habẽtur merita, quantùm ea potuère, extollere præclara ingenia. Sedqualiscunq; hæc nostra oratio

est,

est, materiæ potiùs excellentia, et splendore, quã eloquẽtia, aut venustate dicentis, omnibus gratiosa & optabilis fuit. Ergo in lucem proferenda, tibi potissimùm, non modò fortunarum omnium, sed earum, quas in tanto Principe amisimus, virtutum hæredi dicabitur. Preterea, iam inde quum Academiæ Salmanticensis Rector eras (qui Magistratus non nisi Principibus viris, & summo loco natis deferri consueuit) Te mearum in literis vigiliarum Mæcenatem agnosco, qui me, Grecæ linguæ & eloquẽtiæ relictis tuo hortatu Cathedris, bona spe plenum, tecum Romam approperare iussisti. Qua in Urbe, patrui tui Card. amplissimi familiæ statim adscriptus, per annos octo, præter alia literarum monumẽta, quæ illius iussu composui, de bello Granatensi, & Maurorum rebellione condidi Latinam historiam, quæ, vt in lucem prodeat, te vnum expectabit autorem. Quippè rerum, quæ illic narrantur, maxima pars Decia virtute gestarum, Tibi perpetuam laudem, & singulare posteris tuis afferet ornamentum. Interim hoc accipe luctuosum munus, & postquam meum oculis lustraueris elogium, tuum quoque adijcies, crebris

 ser-

sermonibus patruum tuum celebrabis, & assidua tibi illum repræsentabis recordatione. Nō enim lacrymis tantū, & fletu, sed multò magis laudatione, et cōmemoratione virtutū, quibus floruere, defuncti coluntur. Non tamen ego, ne ex toto mœreas, exigo, sed vt modum teneas, qui piæ mentis, non emotæ videatur. Cogita illius in rebus agendis solertiam, in exequendis industriam, in expetendis, aut fugiendis voluptatibus temperantiam, in aduersis patientiam, in periculis fortitudinem: cogita deniq; illum plenum honestatis, officij, & religionis; quas omnes virtutes, ad tuam, & posterorum gloriam, ad solatium, & imitationem, tibimet ipse, ac tuis commemorabis. Bene vale, Romæ, die 13. Octobris, anno Iobilæi 1600.

ORA-

ORATIO.

QVAM olim Hieremias capiti suo aquam, & lacrymarum fontem suis dari oculis precabatur (Cardinales Amplissimi) non immeritò in re nobis omnibus adeò lugubri, & Christianæ Reipubl. luctuosa exoptare nunc videar, non vt plorem (sicut idem Hieremias ait) interfectos filiæ populi sui, nec vt Dauid, perfidum Regem, vel rebellem filium; sed vt plorem indefessum Ecclesiæ propugnatorem, acerrimum Fidei vindicem, amantem æquitatis Principem; vt plorem innocentiam, pietatem, iustitiam, prudentiam, omnesque pariter in vnius PETRI CARD. DEZAE obitu defecisse virtutes, ob quarum excellentiam, ille omnino mori non debuisse videbatur. Hæc, & alia dum ipse reputo, ac noctes, & dies cogito, assiduis mihi lacrymis ora complentur, occupata faucibus hæret vox, conantem rursus erumpere singultus intercipit, & obrutus nimio dolore animus, rerum ordine, & dicendi robore destituitur, & languescere cogitur. Sed imponendus dolori est modus, & imperandum affectui præceptis virtutum, & spe immortalitatis erecto, quam nobis ille attu-

lit, qui dum occiditur, vires mortis eneruans mortem intulit morti, ante cuius aduentum Abraham apud inferos, post cuius effusum sanguinem latro in Paradyso; ex cuius Euangelica luce, quod Pythagorici de animorum perpetuitate somniarunt, (quos ex vniuersa mente diuina putabant delibatos,) quod ipse Socrates Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, extremo suæ vitæ die, quòd tandem Plato, & alij disputarunt, hoc ipsum iam Indus, Persa, Gothus, Ægyptius philosophātur, atque omnibus vna vox Christus est; cuius virtute non iam mors, sed vita; non extinctio, sed tranquillitas, & somnus; non amissio, sed Christiani bene morientis ad cæleste regnum admissio, & commutatio est. Quare sicut quondam Moysi, Aaroni, & Iacob, atque post Christi Euangelium ipsi quoque Stephano, non quidem in consternatione lugentium, nec in exanimi collacrymantium mærore, sed in ipsa pompa funeris, magnus fuit planctus exhibitus; sic etiam nos hodierna die, hisce sepulcralibus facibus, hac cænotaphij mole, hoc lugubri Ecclesiæ cantu, atratis vndique parietibus, hac noua, & mæsta vestri consessus forma, iustè quidem facere videbimur, si viro iusto solemnia iusta soluamus. Hæc propter à lamentatione ad Panegyricum mihi est oratio reuocanda, vt amplissimas Cardinalis Dezæ mortui laudes breuiter audiatis, cuius viuentis eximijs virtutibus vos ipsi lætari, & gloriari solebatis. Tanta enim honestatis, & veræ virtutis vis est, vt fieri nequaquam possit, quin illa, dum in viris præstantibus cernitur, & mox fugiens, & absens desideratur, ab omnibus, qui rectè sentiunt, diligatur, colatur, nobilitetur.

Verumtamen quid primum ex tot tantisque ornamentis persequar? An genus nobile prædicem? sed virtus inclyta præualet. Inauditam ne iuris scientiam laudibus efferam? sed rerum gestarum prænitet gloria. Modestiam, & morum facilitatem extollam? sed maior est iustitiæ, & integritatis ardor. Referam ne cogitata sapienter, & dicta eleganter? sed vincunt cœpta fortiter, & peracta feliciter. Ne igitur multitudo, & excellentia rerum tollat, indicendo, & in audiendo, perspicuitatem, Rhetorum vestigijs insistentes, veterem laudandi morem sequamur. Deciæ, & Guzmanæ stirpis nobilibus apprimè parentibus, Antonio scilicet de Deza, & Beatrice Guzmana procreatus Petrus Cardinalis Deza, ea originis vetustate, eo generis splendore, ijsque honorum titulis honestatur, vt si more veterum, publico in funere, auitæ, patriæque imagines præferendæ,

& collocandæ forent, in his nostri Cardinalis exequijs,excellentium bello,& toga Heròum,Comitum, Ducum, & Regum statuas intueri,& quod magis est, magni Patriarchæ sancti Dominici Decio,& Guzmano sanguine geniti sanctitatem suspicere,& admirari possemus. Nam sancti Dominici pater Felix Guzmanus,mater verò,vt quibusdam placet auctoribus, Ioanna de Deza fuit, quam alij Deazam appellarunt.

Prælucèret inter Decios omnes, bello potens, & antiquitate longæuus Brutus Decius,qui, Roma in Hispaniam profectus, illam proninciæ partem,quæ Gallecia dicitur, 60. millibus indigenarum occisis, anno 134. ante Christi aduentum occupauit; ex cuius Decio nomine vallis Decia,& Transdecia,nostra adhuc ætate,nuncupantur,vbi natale Deciorum solum, & antiquissima eiusdem gentis cum arce domus est, quæ vtrique valli ius olim dicens, liberum in omnes exercebat imperium. Eminèret post annum à Bruto Decio 385, Romanorum Imperator Decius, qui Tarraconensi in prouincia, Deciæ vrbis, quam nunc Dezam vocamus, conditor fertur, cui Decios nostros seu Dezas cognomento,& origine coniunctos quorumdam historiæ testantur. Fulgèret maiorum imitator optimus abhinc annis quatercentis, affinitate Regia, & Marte conspicuus Gometius Enrriquus Deza, qui Ferdinandi Lusitaniæ Regis nepti,& Alphonsi Hispaniæ Imperatoris pronepti Maria vxore ducta, eidem Ferdinando aduersus Mauros, Bethico in prœlio fortiter militauit. Nec minor parente Didacus Gometius Deza, militarem sancti Ioannis Hierosolymitani togam indutus, & eiusdem militiæ magistratu,quem Prioratum appellant, insignitus, Magnus Prior coruscaret. Spectaretur in hoc funere Alphonsus Deza,qui,relicto Gallecia natali solo,in Lusitaniam veniens, vt fidem inuiolatam Petro Castellæ Regi tueretur, cum Sarriæ, & Carpij Marchionibus, atque Lemorum Comitibus, tam vitæ, quàm Martis pericula subijt, cuius virtus, & fortitudo cò meritorum peruenit,vt Lusitaniæ Regibus gens Decia sanguine iungeretur. Alphonso Ferdinandus Deza, eiusdem filius succederet, paternæ virtutis æmulus,& Deciorum Taurum incolentium autor, qui Beatricem Ferdinandi Lusitaniæ Regis filiam, vt Ioanni primo Castellæ Regi nuberet, honoris ergo comitatus, in vrbe Tauro habitare ab hinc annis plus ducentis incepit, vbi eadem Regina Beatrix,Deciorum affinis tumulata est. Nec minùs decorus (vt alios interim sileam) inter tot armatos viros,

togam

togam indutus cerneretur V. I. peritissimus Didacus de Deza, Apostolici Palatij Auditor, cuius adhuc prudentissima responsa circumferuntur. Sed quantùm hoc funus alterius Didaci Archiepiscopi Hispalensis Dezæ, eruditissimis theologiæ monumẽtis, & claris facinoribus fulgens imago decoraret! Hic doctrina, & sanctitate insignis, præter monasterium sancti Dominici, quod Regium vocant, in vrbe Tauro ædificijs, & celebri claustro amplificatum, Collegium cum amplo cœnobio Hispali cõdidit, vbi Dominicanus Ordo, quem ipse Deza fuerat ingressus, philosophiam, & theologiam, ex ipsius instituto cum admirabili studiosorum augmento profitetur. Quid verò de Guzmanæ familiæ stẽmatibus, & honorum amplitudine referã, ex qua tres præstantissimæ fœminæ potentissimos Portugalliæ, Algaruiorũ, Legionis, & Castellæ Reges protulerunt? Nã Ximena Nunnez Guzmana ex Rege Alphonso 6. Teressam filiã genuit, quæ nubẽs Henrico, pro dote, Lusitaniæ regnum accepit. Altera nomine Maior ex Rege Alphonso, qui cognominabatur Sapiens, Beatricem peperit, quæ Alphonso 3. Lusitaniæ Regi 5. matrimonio locata, Algaruiorum Regina salutatur. Tertia Leonora Guzmana, ex Alphonso vndecimo Enriquum 2. Legionis, & Castellæ Regem felici edidit partu; ex quo perennis adhuc, & felicissima Hispaniæ Regum series effloruit. Hæc est paterni, & materni generis in hoc magno Cardinale nobilitas, hic maiorum splendor, hoc natalium ornamentum; quibus ille longè aliam maiorem, quam veram philosophi putant, à sapientia, & virtute manantem nobilitatem adiunxit. Nam si viri nobiles maiorum suorum res gestas non imitentur, huiusmodi nobilitatem, iure optimo Diogenes malitiæ, & ignauiæ velamen appellabat; nullumque discrimen, inter baiulum, & Alcibiadem summo loco natum virum, Socrates esse dicebat, si virtus abesset. Hanc, quamuis ab ætatis suæ anno septimo, quo literis cœpit incumbere, Herculeo quodam supercilio, spretis voluptatum illecebris, fuerit DEZA sectatus, nihil tamen nunc de illius adhuc pueri clarissima indole, nihil de adolescentis ingenio, nihil de benè morata iuuentute, de studiorum prouentu, de magisterij gloria dicam, quum ætatis suæ annum agens vigesimum, ad ostentandam ingenij aciem, ex Academiæ Salmanticensis more, Pontificij iuris laurea insignitus, & paulò post Licentiæ gradu, Cæsareo in iure honestatus, sacras, ciuilesque leges, bis, & interdum ter indie, vnius horæ spatio, memoriter interpretabatur. Nam si (vt ait Cicero)

ro)omnis virtutis laus in actione consistit, à qua propter veri inuestigandi studium abduci, contra officium idem censet; relictis Gymnasij honoribus, quos ante, & post purpuram gesserit magistratus; in quibus egregium, & stabile ingenium, eximiam què doctrinam mirabiliter expressit, breuiter perstringere cõsentaneum est. In primis, anno ætatis suæ 27. in S. Bartholomæi Collegium, quod in eadem Salmanticẽsi Academia est insigne, cooptatus, Iudex Metropolitanus ab Archiepiscopo Compostellano cõstitutus, per annos octo, varijs, & amplis Diæcesibus ita ius dixit, vt ab Imperatore Carolo V. cui semper charissimus fuit, Valli soletani Consilij Auditor legeretur.

Quo munere, dum singulari iurisprudentiæ, & probitatis cũ laude perfungitur, Paulo IIII. Pont. Max. Calatraue in Ecclesia Toletana Archidiaconus creatur, & post annos sex, à Philippo II. Hispàniæ Rege Catholico, supremæ in Curia Regia Inquisitionis Auditor postulatus, Apostolicæ Bullæ, quã Cruciatam vocant, Quæstor, vel, vt vulgari vtar nomine, Commissarius eligitur. Mensibus viginti septem ab obtento Inquisitoris officio peractis, habito sapiẽtium Senatu, in quo de Maurorũ instaurandis moribus, qui Christi fidem receperant, actũ fuit, cui etiam consilio DEZA interfuerat, eum quamuis recusantem, idem Rex totius Regni Granatensis Præsidem nominauit. Quo in Magistratu deferendo Philippus magnam iudicij, & prudentiæ laudem, hic verò in excusando, non minorem modestiæ, & incredibilem sui nominis gloriam, Rempub. postea benè gerendo, consecutus est. Optauerant iam pridem Hispaniæ Reges, ad extirpandos Maurorum ritus, & totam Prouinciam Granatensem in officio continendã, pias quasdã ibidem promulgare sanctiones, quas tamen, ne Mauri rebellarent, per annos quadraginta publicare intermisserant, donec vir tantus ad omnia solers Granatam veniens, & magna omnium gratulatione exceptus, Hispaniæ Regibus cõcepta vota perfecit, omnibus Mauris non minus metu cõsternatis, quã admiratione defixis. Quæ res eò Philippo gratior, & iucundior fuit, quò magis optata, & à pluribus frustra tẽtata fuerat: vnde non potuit non singularem Præsidis sapientiam, & constantem despecti periculi fortitudinem probare, & verbis extollere. Sed profectò illa, qua DEZA floruit prestantis animi magnitudo, postquam Mauricæ rebellionis erupit incendium,

se multò magis explicuit, quippe Mauris in arma surgentibus & ciuitate metu pallente, suadenti fugā Senatui, ac institium postulanti tanquam alter Attilius Regulus mortis contēptor vehemēter obstitit, & qùam pulchrū esset pro Deo, pro Rege, proq. patria fortiter mori, graui edisserens oratione, labantes Patres firmauit, & à fuga deterruit. Quæ vna Præsidis alacritas, & timoris expers sententia Granatam, ne à Mauris caperetur, vt ipsi hostes bello iam confecto fatebantur, seruauit. Quāobrem, postquam Ioannes ab Austria Granatensi bello præfuerat, qui constantiam, & fortitudinem Præsidis in primis memorabilem prædicabat, quòd in tanto periculo vir togatus, & ferè, nullis septus auxilijs, vrbem Granatam, vel tribunalis officia nō deseruisset, supremus eiusdē belli Dux ab eodem Rege constituitur DEZA, & quod nemini superiorum Ducum fuerat concessum, Regiæ potestatis Vicarius declaratur. Quod autem tam aureum flumen ingenij, quæ dicendi vis, aut copia tanta reperiri poterit, quæ solertissimi Præsidis vigilātiā, diligentissimi Ducis industriam, prudentissimi Vicarij moderationem, atq. iustitiam valeat exæquare narrando? Te Prouincia Granatensis appello, quæ vno DEZA autore, ab hostium immanibus insidijs erepta, à seditione, & tumultu pacata, à metu ad securitatem tradducta, & feliciter instaurata fuisti. Gloriaris, depulsis Mahometanæ gentis erroribus, verum Christianæ Religionis cultum, & sanctas tibi cerimonias restitutas? Restituit DEZA. Gratularis, inter dolū, & apertam vim, districtosq. Maurorum gladios, fortunas, vitam & libertatem tibi retentam? Retinuit DEZA. Lætaris domesticos hostes, non solùm finibus tuis, verùm vniuersæ Hispaniæ, seruitutem, & necem intentantes fuisse depressos, & tota Prouincia exturbatos? depressit, & exturbauit DEZA. Hoc igitur DECIAE genti debebit Hispania, quòd PETRVS DEZA Sarracenos, Didacus autem Deza Archiepiscopus Hispalensis Iudæos omnes in Hispania oppresserit, afflixerit, profligauerit.

Fine rebus bellicis imposito, post annos vndecim, quibus Granatensis Regni clauum tenuerat, Vallisoletani Consilij Præses legitur, & paulò post, tot clarorum facinorum, & tantarū virtutum ergò, à Gregorio xiij. Pont. Max. atque optimo, supplicāte Philippo Rege Catholico, inter Presbyteros Cardinales purpurà decoratur, quam iam illi antea Pius Quintus, rogante Ioanne

Ioanne ab Auſtria, deſtinauerat. Presbyter igitur Cardinalis creatus in Vrbem iam Sexagenarius peruẽnit, in qua ſupra annos viginti, continuo temporis ſpatio commoratus, quanto in honore, atque gratia apud ipſum Gregorium, cæteroſque deinceps Rom. Pontifices, & hunc veſtrum Ordinem ſemper habitus fuerit, vos (Cardinales ampliſſimi,) teſtor, qui vidiſtis venerabilẽ illũ ſenẽ laboribus infractũ, officio ſemper intentum, Reipub. addictum, & Catholicæ Eccleſiæ vtilitatibus excubantem. Vidiſtis octogenarium hominem frequentare Senatum, Sacris omnibus adeſſe Pontificijs, nulli vnquam publico abeſſe Conſilio, varijs Congregationibus, ſiue Concilij Tridentini, ſiue Iuriſdictionum ſub Gregorio, ſiue Sanctæ Inquiſitionis ſub Sixto Quinto, alijſque Romanis Pontificibus tanta intereſſe aſſiduitate, vt robuſtioribus, eius perſeuerantia, & ſolicitudo eſſet exemplo; & nemini non, admirationi eius virtus, doctrina, religio, & integritas haberetur. Quod ſi omnis vitæ honeſtas in officio excolendo ſita eſt, & in negligendo turpitudo, quantus DEZAE ſplendor, quanta ve gloria erit, quẽ nulla vnquam ab honeſtis muneribus, & Reipub. negocijs voluptas abduxit, nullus labor abſterruit, nulla gratia deflexit, nullum diſcrimẽ auertit? Cuius actionibus, dictis, atque conſilijs mira inerat grauitas, incorrupta, æquitas, illibata fides, tantus verò modus, decorè, & cum dignitate omnia adminiſtrantis, vt nihil ex libidine, nihil ex caſu aut intemperanter ſuis in opinionibus, vel factis cogitaret. Nec mirum; nam quum præclaris artibus adoleſcentiam ſuam inſtruxiſſet, mediam ætatem laboribus roboraſſet, & eiſdem perfeciſſet ſenilem, ſenectus eius ætate fiebat doctior, vſu certior, temporis proceſſu ſapientior, & omnium admiratione glorioſior. Ita myſticam illam Dauidis Sunamitidem amplexus, minimè patiebatur veterem ſibi frigère ſapientiã, immo, ſi quãdo per negocia publica vacabat, tanquam alter Solon, addicens ſemper aliquid ſeneſcebat. Quod vt commodiùs ageret, priſco Romanorum more, vt Scipio Africanus Ennium Poetam, & Polybium Hiſtoricum, Luculli, & Hortenſij Archiam Poetam CN. Pompeius Lenæum libertum, Auguſtus Cœſar Apollonium, Cicerones Cratippum philoſophum; ita ille doctum aliquem virum, diuerſarum rerum eruditione florentem domi habere conſueuit, & neminem non, doctrinæ opinione commendabilem, mẽſa & alloquio comiter excipere, vt eorum ſermonibus, tanquam quibuſdam ſapientiæ, & ſtudij pabulis, vberem adhuc in ſenio memo-

memoriam augeret,animumque reficeret. Ad hoc ego munus, quamuis tanto impar oneri,ex Academia Salmanticensi,vbi publico fungebar magisterio,accerſitus, per annos octo,eius acumẽ ingenij, doctrinæ vbertatẽ,& ſanctitatẽ morum ita mirabar, vt ſi de V.I.ſcientia loqueretur,(qua mirabiliter,pollebat) Iuriſconſultiſſimus, ſi de eloquentia diſertiſſimus, ſi de Repub. regenda maximè prudens, ſi de ſacrarũ rerũ myſterijs mirè religioſus videretur. Hæc illius erant curricula mentis,hæ ſolertis animi exercitationes, quibus intentum tanquam arcum animum habens,vſque ad extremum vitæ ſpiritum nunquam ſenectuti ſuccubuit, & corpore quidem ſenex ,animo nunquam fuit. Hinc omne curriculum ætatis, atq; induſtriæ ſuæ, in gymnaſijs, in Magiſtratibus, in Foro, in Curia Regum, ſiue Pontificum verſanti, & inter dignas optimo Principe curas viuenti non intelligebatur, quando ſenectus obreperet, atque ita ſenſim ſine ſenſu,eius ætas ſeneſcebat,quæ ſolito veteris in potu, & cibo tẽperantiæ, & in omnibus voluptatibus continentiæ præſidio munita,non tam morborum impetu frangenda, quàm felici quadam diuturnitate extinguendã videbatur. At, proh dolor! columen noſtrum inuaſit mors, Reipub. lumen extinxit, bonorum aſylum deiecit, & noſtrum decus, patriæq; gloriã obſcurauit. Lugeat tã acerbã diẽ genitrix tanti Herois Hiſpalis, lugeat altrix ciuitas Taurus, lugeat magiſtra Salmantica, lugeat Granata Præſidem, Ducem, Liberatorem, lugeat Pincia ſui Auditorem,& Principem Senatus, lugeat Roma Patrem, Alba Epiſcopum, & ſuum vniuerſa Hiſpania Protectorem lugeat. Quas autem & nos huic mæſtiſſimo funeri lacrymas, quos gemitus, quæ lamenta debemus? qui intra eius auguſtiſſimos Lares tandiu viximus,qui eius præſidio defenſi,& autoritate honeſtati ſuimus; quos ille viuens quum verè dilexiſſet, Chriſtum imitatus in finẽ ita dilexit,vt quoſdã noſtrũ annuis redditibus, omnes verò familiæ ſuæ,tã Italos,quã Hiſpanos,ad numerũ.34. perpetuis vitæ alimentis ex teſtamẽto legatis recreauerit. O verã, & inauditam Principis liberalitatem! O beneuolẽtiſſimi parentis munificentiam omnium Rhetorum linguis,& prædicatione digniſſimam! Cur inuida mors tali viro manus iniecisti? cur præſidium noſtrum expugnaſti? Nunquid tibi mouebat inuidiam vigor ille animi excelſus,quo non ſolùm antea valens, verùm etiam tibi iam proximus vires tuas deſpiciebat? Nõ enim(Auditores optimi) vt morti reſiſteret morbo iam correptus vltimo,

lectulum petere, medicos arcessere, vel sibi parcere, sed vi dysenteriæ dominãte, quamuis per quatuor dies, publicis quidem muneribus, priuatis tamen nunquam abstinuit officijs: quin pridie ante mortem, die 25. Augusti rem sacram memorabili pietate faciens, diuinum illud vitæ futuræ Viaticum acceperat. Aduentante eiusdem diei vespere nequaquam cessat, minores Preces recitat, paulò post Matutinas annectit: quibus dũ incumbit, & in acie, more suo stat inuictus; indignata, vt reor, contra tantum robur acerba mors vehementius irruit, & Cygneam illam vocẽ Angelicis Choris accinentem silère, Ecclesiasticas preces dimittere, & tandem languidum corpus cubitum abire compulit. Quis nunc cum magno Ecclesiæ Doctore Hieronymo non exclamet? O felix, & omni dignus beatitudine, quem senectus occupat Christo seruientẽ! quem extrema dies SALVATORI inuenerit militatem! Adsunt confestim medici, quibus admonentibus, vt domui suæ disponeret, nullo metu, nullaue tristitia confusus, Deum alloquẽs in hæc verba prorumpit, *Fiat Domine voluntas tua sicut in cælo, & in terra*, in quorum obseruatione verborum omnem vitæ Christianæ perfectionem sitam esse, solitus fuerat dicere. Ecce, importuna mors, iam tecum DEZA congreditur, vincere quidem illum, sed terrère, non poteris. Est enim Decijs gentile hoc vitam fortiter aspernari, & nullo Martis, nel mortis periculo consternatos in ipsum vitæ interitum ruere voluntarios. Sic est mirata Deciũ vetustas cum Latinis decertãtem, sic eius filium cum Etruscis, sic etiam cum Pyrrho nepotem Decium, qui, pro exercitus, & patriæ salute vltrò morte expetita, se se hostium telis obiecerunt. Sed tantò maior & illustrior nostri Decij virtus emicuit, quantò præclarius, & excellentius esse censetur, non solùm pro patriæ libertate, & imperij propagatione mori, sed etiã pro ipsa Catholicæ Fidei amplificatione, & æterna animorũ incolumitate, sese nulli non periculo deuouère, fortiter agere, contendere, superare.

Hæc quidem robustioris, & ardentioris ætatis alacritas alicui fortasse videbitur; at postquam senectus inuasit, ardentius animum officio intendere, & tantùm à mortis abesse formidine, vt aduenienti libenter occurrat, & animosius, quò propiùs illa minatur, accedat, hæc qui facit non ego illum cum summis viris cõparo, sed simillimum beatis iudico; Nam si Dauidem Regem, quòd nec benedictione, nec maledictione moueretur, sicut Dei Angelum videri, & Deum cum il-

 lo esse

lo esse sacra munumenta testantur, quibus cæli munitum præsidiis, quo Dei armatum auxilio animum eius credere fas est, quem toto vitæ spatio, nec aduersa conditio depressit, nec prospera fecit insolescere; quē ipse tandem omnibus horribilis huius vitæ discessus impauidū occupauit? Hanc autem in moriētibus fiduciam parit benè anteactæ vitæ cōsciētia, iustis cumulata operibus fides, erecta in Deum spes, ardens charitas, diuturna mortis meditatio, sine qua, tranquillo esse animo nemo potēst. Nā vt Tragicus Poëta Seneca cecinit; O quàm miserū est nescire mori! Hæc propter, si (vt ait Plato) omnis sapiētium vita, meditatio mortis est, necesse profectò erit, vt, quò quisq. magis sapiēs sit, æquiore animo, quò aut magis stultus, iniquiore moriatur. Constanti ergo, & pacato animo testamenti tabulas, Petro à Deza & Aquila ex fratre nepote, & Aldonza pronepti, Antonij Dezæ filia, eiusdéq. Petri Sponsa hæredibus institutis, conficit; maritandis puellis decem millia aureorum, & alia multa pia opera legat, stipendia, quæ vocant salaria, solui, remunerationes dari iubet; Eucharistiam, & mox extremum Ecclesiæ Sacramentum ipsemet postulat, quibus, integris adhuc sensibus, incredibili charitatis ardore susceptis, vix horis triginta, postquā decubuerat exactis, ad suum fœlix anima remigrauit autorem. O diem tibi DEZA gloriosum, Reipub. infaustū, nobis calamitosum! vixisti, fateor, integra ferè semper valetudine, iuxta Dauidicam sententiam in Potentatibus octoginta annos, menses etiam sex, & dies duos: satis diu naturæ, satis fortasse & tibi, satis honori & gloriæ; at nobis, patriæ, & Reipub. parū certè vixisti. Multa quæ mirentur homines, multa quæ imitentur integerrimi animi tui exempla reliquisti, in capiendo consilio prudētiam, in dando fidem, in iudicijs æquitatem, in sacris frequentiam, in laboribus constantiam, in potentia moderationem, in sentētia iustitiam, in moribus sanctitatem: quibus, & alijs multis tuis virtutibus, quæ sint boni Senatoris, atq. optimi Cardinalis partes, tāquam viuus, & spirans de sepulchro interpretaberis. Tantus enim, si modo absit inuidia, viguit in eo virtutum omnium concentus (Illustrissimi Cardinales) vt sine faustu emineret autoritas, sinè ostentatione micaret doctrina, sine fuco luceret probitas, sine temeritate auderet fortitudo, sine malitia caueret prudentia, sine acerbitate staret grauitas, sine contemptu affabilitas, & sine vlla factione, veræ magnitudinis, & iusti-

iustitiæ studium non cessaret. Ego vero nihil magis admirari solebam, quàm amantissimi Patroni mei incredibilem mãsuetudinem, beneuolentiam, æquabilitatem, quæ nullis vnquam labefactaretur offensionibus, nihil omnino ambiret, delatores odio haberet, nobiscum tandẽ sic ageret, vt non seuero Domino, sed indulgentissimo Parenti famulatũ, præstitisse gloriemur. Quasobres viuet nostro, & omnium præconio dignissimus, viuet CARDINALIS DEZA famæ, & gloriæ celebritate immortalis in terris, qui iam & in cælo, vt religiosè opinamur, illam vitam, æuo felicissimo, viuit, quæ sola vita nominanda est.